

42. Refellitur *tertio*: Nam voluntas nequit omittre liberè, nisi moveatur ad omittendum ex aliquo motivo; sed nequit moveri ex aliquo motivo, nisi interveniat aliquis actus: ergo voluntas nequit omittre liberè, nisi præcedat aliquis actus. Maior videtur certa; alias omittret casu, & non liberè. Minor probatur. Tum, quia nequit voluntas moveri ex aliquo motivo, nisi se moveat ex illo; sed nequit intelligi, voluntatem propriè se movere, nisi per verum motum positivum: ergo nequit moveri ex aliquo motivo, nisi interveniat aliquis actus. Tum etiam: Nam idem est voluntatem moveri ex aliquo motivo, ac motum movere voluntatem; sed motum, seu obiectum nequit movere voluntatem, nisi per influxum positivum: ergo.

Roboratur hoc: Nam si voluntas liberè omittit, vel motum est ipsa omisio, vel aliquid aliud; sed neutro modo potest omittre, nisi interveniente aliquo actu: ergo nequit dari omisio voluntaria absque aliquo actu. Minor quoad secundam partem per se patet. Quoad primam verò probatur: nam nequit omisio esse motum omittendi, nisi apprehendatur ut *bona*; sed nequit apprehendi ut *bona*, & ut sic movere, nisi interveniente aliquo actu: nam idem est movere ut *bonam*, ac terminare amorem sui: quia quidquid movet voluntatem ut bonum in actu secundo, movet per sui amorem, cum sit adæquata motio boni ut *boni* in actu secundo, sicut actus fuge est motio mali ut *mali* in actu secundo: ergo motum omittendi nequit esse ipsa omisio, nisi mediante aliquo actu.

43. Ad has impugnationes trahuntur alia, quibus utuntur N. Salmant. supra relatis, nempe, quòd voluntas nequit liberè omittre, nisi ut activa; & ut activa nequit non elicere aliquem actum. Item dum liberè omittit, non se habet ut *mortua* in actu secundo; aliàs non esset exercitium potentia vitalis, qualis est voluntas; & non potest verè vivere per puram omisionem, sed per ordinem ad actum. Tandem voluntas liberè omittens aliter se habet tunc, ac antea, cum transeat ab actu primo ad exercitium intrinsecum in actu secundo, quod idem est, ac verè moveri; quod, ut ex proxime dictis constat, nequit stare absque aliquo actu positivo. Quæ si cum præcedentibus conferantur, præoccupant omnes evasiones, quas adhibet Godoy.



§. III.

Dua alia rationes.

44. **S**ecundò probatur ratione nostra conclusio: Nam repugnat omisio voluntaria, quæ non fit verè aliquo modo volita; sed repugnat esse aliquo modo volitam, nisi præcedat aliquis actus voluntatis: ergo nequit dari omisio voluntaria sine aliquo actu voluntatis. Minor est certa: nam nequit esse volita, nisi prout apprehenditur ut *bona*, iuxta illud Philosophi, *Amabile non nisi bonum*: neque potest amari ut *bona*, nisi terminet aliquem motum prosecutionis, nempe actum amoris. Maior verò, in qua tantum est difficultas, suadetur: nam voluntas est reflexiva: ergo debet reflecti saltem virtualiter supra omne suum exercitium, sive positivum, sive omisivum: qua ratio, cum aliquid vult, saltem virtualiter amat suum *vel se*; pariterque, dum aliquid odio habet, amat ipsum odium: ergo, dum voluntarie omittit, saltem virtualiter vult ipsum *omittere*; sed nequit adhuc virtualiter velle ipsam omisionem, nisi præcedat aliquis formalis amor: ergo.

45. Nec fiet satis, si dicatur, quòd aliud est, omisionem esse voluntariam; & aliud, esse volitam; sicut aliud est, esse exercitium voluntatis; aliud, esse obiectum illius. Non (inquam) fit satis: Nam intentum prædictæ rationis est, quòd exercitium voluntarium ita sit exercitium, quòd simul sit obiectum volitum, vel sui ipsius, vel alterius exercitij. ¶ Minus fiet satis, si dicatur, quòd omisio potest apprehendi ut *bona*, & sic amari independentè à quocunque alio. Nam hæc evasio incidit (velis, nolis) in nostram sententiam: Nam si amatur, iam terminat amorem: ergo nequit esse voluntaria, quin interveniat aliquis actus amoris.

Quocirca melius respondent, qui dicunt, non omne voluntarium esse volitum, nec signatè, nec exercitè, sed tantum voluntarium positivum. Voluntarium enim omisivum adsummum petit amorem, & consensum interpretativum: ad quem præbet sufficiens fundamentum ipsa omisio: nam cordatè interpretatur velle omittre, qui potest, tenetur, & non facit. Hic autem actus interpretativus, qui potest dari, quin præcedat aliquis formalis, fundatur in illo axiomate deducto ex regula iuris, *Qui tacet, consentire videtur*. Et propterea plures contractus sunt validi, si fiant coram ipsis contractibus tacentibus.

Hæc tamen solutio, quæ est commune esugium Adversariorum, facile refellitur. Primò ex eo, quòd in ea petitur principium: Cur namque exercitium voluntarium omisivum non petit esse volitum, cum exercitium positivum peccat? Respondere enim, quòd quia est omisio; est

est reduci ad primum principium, nempe an requiratur aliquis actus positivus ad omisionem voluntariam. *Secundò*: Nam non potest negari, quòd potentia indifferens ad duo extrema, liberè eligit quocunque extremum, ad quod inclinatur: ergo si inclinatur ad omisionem, verè eligit, amat, & consensit in ipsam omisionem; hoc est verè omisionem esse volitam: ergo.

47. *Tertio* (per quod rejicitur id, quod additur de actu interpretativo) Nam omisio, de qua loquimur, non solum est voluntaria interpretativè, sed etiam verè, physice, & realiter in se ergo non solum debet esse volita interpretativè, sed etiam in se realiter, & physice. Antecedens est certum. Et consequentia probatur ex paritate cuiuscunque alterius exercitij voluntarij. *Explicatur hoc*: Inutilis est actus interpretativus, ubi non adest fundamentum ad illius interpretationem; sed nisi detur aliquis actus positivus physicus & realis, non adest illi fundamentum, ad hoc ut interpretemur ipsam omisionem esse actum: ergo non esset volita adhuc interpretativè. Probatur minor: nam potentia cum debito non est sufficiens fundamentum ad interpretativam volitionem: quia utrunque se tenet ex parte actus primi, & separabile ab ipsa omisione: neque totum hoc coniunctum *posse, teneri, & non facere*: quia hoc ad summum potest præstare fundamentum, ut iudicium interpretans sit prudens, & morale, secus verò ut ipsa omisio in se sit verus actus: ergo non adest sufficiens fundamentum ad interpretandum ipsam omisionem esse actum.

Roboratur hoc: Nam, ut supra num. 31. diximus, nequit dari consideratio interpretativa, quæ sit talis propriè & intrinsecè, nisi præcedat aliqua consideratio formalis, in quam reducatur, licet quoad nos possit esse talis, nulla præcedente consideratione formalis: ergo neque omisio quoad se potest esse volita interpretativè, nisi præcedente aliquo actu positivo in quem reducatur. Unde recursum ad actum interpretativum quoad præsens inutilis est.

Nec propterea actus interpretativus frustrà est, ubi adest realis. Nam potest contingere, quòd aliquis non velit formaliter aliquod obiectum, & nihilominus, si ex prævisione velit aliud impossibile cum illo, virtualiter vult omisionem illius; ut qui tempore, quo inquit præceptum audiendi sacrum, tradit se ludo, virtualiter vult omisionem sacri, & actus ille formalis ludi, & virtualis omisionis est fundamentum ad hoc, ut interpretemur illum formaliter velle omisionem sacri. Sed concedere actum interpretativum terminatum ad omisionem, quin præcedat actus formalis alterius obiecti, qui simul sit virtualis ipsius omisionis, omnino chimericum reputamus; vel non conducit ad rem.

Id, quo fulciebatur prædicta evasio ex regula iuris, statim cadit, si dicta recolatur. Nam licet ius præsumat intimum consensum voluntatis propter taciturnitatem, maxime dum agitur de utilitate eius, qui taceat si verè, & realiter is non consensit, nullatenus facit ad hoc, ut detur consensus voluntarius in se, licet iudex humanus possit cogere ad exequendos contractus sub prædicta conditione initos, ne detur locus simulandi consensum. Idem dicimus de licentia præsumpta Prælati.

48. Probatur *tertio* nostra conclusio ratione deducta ex D. Thoma in præf. ad 3. ubi ait *Eodem modo requiritur ad voluntarium actus cognitionis, sicut & actus voluntatis*; sed absque omni actu positivo intellectus non stat omisio voluntaria: ergo neque absque omni actu physico voluntatis.

49. Huic rationi (prætermissa evasione quam adhibet Ferrè, oppositum scilicet deducit ex verbis D. Thomæ, si tota eius authoritas legatur; quia reverà nequit negari aliqua consideratio formalis ad voluntarium propter dicta num. 30. & 31.) respondet Godoy, quòd paritas D. Thomæ tenet inter actum voluntatis, & actum intellectus, qui immediate & directè debet cognoscere obiectum, de quo scientia esse debet. Et apertum est, hanc actum intellectus necessarium non esse, ut exiit omisio voluntaria, sicut nec actus positivus voluntatis directè tendens ad eam. Non verò procedit de actibus indirectè tendentibus ad illam.

Sed contra est *primo*: Nam ubi D. Thomas non distinguit, nec nos distinguere debemus; sed D. Thomas absque vlla limitatione dicit, quòd eodem modo ad voluntarium se habet actus intellectus, ac actus voluntatis: ergo si nequit dari omisio peccaminosa absque omni actu intellectus, nec absque aliquo actu voluntatis. ¶ *Secundò*: Ideo aliqua cognitio debet supponi, quia debet intellectus saltem per modum *proponentis* influere in eam; sed etiam voluntas debet in illam influere, cum egrediat ab ea: ergo. ¶ *Tertio*: Nam iuxta D. Thomam (ibi) *sicut non velle, & non agere, cum tempus fuerit, est voluntarium, ita non considerare*; sed non considerare nequit esse voluntarium, nisi præcedat aliqua consideratio formalis, in quam non consideratio virtualiter refundatur: ergo, stando paritati, nec potest esse voluntarium *non velle*, nisi præcedat aliquis actus formalis voluntatis, in quem *non velle* virtualiter reducatur. ¶ Roboratur hoc: *Non considerare* voluntarium nequit esse, nisi sit consideratio interpretativa, ut omnes supponunt; sed per vos nequit dari consideratio interpretativa, nisi præcedat aliqua consideratio formalis, in quam illud *non considerare* refundatur: ergo nec potest dari *non velle* voluntarium, nisi in vi alius actus formalis voluntatis, in quem

reducatur. ¶ Roboratur ulterius: Non considerare nequit esse voluntarium, nisi in virtute alicuius actus voluntatis moventis ad non considerandum: ergo non velle nequit esse voluntarium, nisi in vi alicuius actus voluntatis, per quem moveatur ad non velle. Consequentia à paritate constat. Antecedens verò probatur: nam nullum exercitium intellectus potest esse liberum & voluntarium, nisi ex participatione voluntatis; sed à voluntate nihil potest principari, nisi per suum actum: à pura omissione quid participari potest, cum sit nihil? ergo.

§. IV.

Argumenta sententia opposita.

50 **A** Bargumento ab autoritatibus D. Thomæ, quas congerunt Adversarij, petito abstinemus: quia legitima eius mens satis constat ex dictis num. 37. Vel quia D. Thomas potest exponi de actu, qui sit de essentia omissionis. Vel de actu tendente directè ad eam. Vel tandem, si aliqua est, quæ non relinquat locum ad unam, vel alteram expositionem; dicendum est, quòd in hac 1. 2. mutavit sententiam, quam aliquando sustinuit in libris Sent. Quod non rarò contingit.

Arguitur ergo primò à ratione: Nam instante præcepto (v.g.) dilectionis Dei, & advertentia obligationis illius, potest voluntas nullum actum elicere, quo præceptum adimpleat, vel adimpletionem impediat; sed tunc daretur pura omisio voluntaria: ergo potest dari. Minor probatur: quia esset peccaminosa: nam qui potest, scit, & debet facere, & non facit, nequit excusari à culpa, iuxta illud Iacob. 4. *Sententiæ facere bonum, & non facienti, peccatum est illi*: et ideo etiam tunc daretur omisio pura voluntaria.

Ad hoc argumentum respondetur negando maiorem. Nam, stante præcepto, & advertentia, voluntas non potest manere suspensa, sed necessario debet elicere actum, quo adimpleat præceptum, vel actum, quo adimpletionem impediat. Sicut de voluntate divina asseruimus tr. 4. disp. 2. dub. 4. Nec hoc officit eius libertati: quia ad hoc erat necesse, quòd voluntas, posita quacunque propositione obiecti boni, esset determinata ad actum in particulari; quod stante primo iudicio intellectus est falsum, sed tantum est determinata ad aliquem actum vagè, ut de voluntate divina, licet ex diverso capite, sibi diximus. Et instatur in sententia contraria: Nam, stante advertentia intellectus, voluntas manet determinata ad actum amoris, ad *nolle amare*, vel ad puram omissionem; & hoc non obstanti, determinatur liberè ad quodlibet exercitium in particulari.

51 Sed obijciat cum Godoy num. 27. pri-

mò: Nam fiat, quòd voluntas sit necessitata; supposita propositione obiecti, ad aliquem actum vage, & non necessitetur ad actum amorem, vel ad actum impeditivum illius: quia potest elicere alium actum compositibilem cum adimpletionem: sicut si quando instat præceptum recitandi, eliciat actum, quo velit considerare obligationem, qui actus potius conducit ad adimpletionem, quam ad oppositum; sed talis actus non esset causa non adimpletionis: ergo ex hac parte non repugnat pura omisio voluntaria.

Secundò: Nam voluntas, adhuc supposita propositione obiecti, est indifferens ad actum amoris, ad *nolle amare*, & ad omissionem: ergo non manet necessitata ad aliquem actum adhuc vagè. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Tum quia ideo non est necessitata ad amorem, & ad eius nolitionem, quia ad utrumque est indifferens; sed etiam est indifferens ad omissionem: ergo non manet necessitata ad aliquem actum vage. Tum etiam: nam si manet indifferens etiam ad omissionem, ad quantum eius exercitium non est actus positivus: ergo non manet necessitata ad aliquem actum vagè.

Ad primam obiectionem (quæ indigna est tanti Doctoris) Respondetur, quòd licet voluntas considerandi obligationem non sit secundum se occasio omitendi; tamen si voluntas sciens instare tempus recitandi vult perseverare in tali consideratione, verè vult aliquid pro tunc incompositibile cum adimpletionem præcepti; & ex vi talis actus indirectè vult omittere.

Ad secundam (cui maxime fudit) Respondetur distinguendo antecedens: ad omissionem puram, nego suppositum; ad omissionem causatam ex aliquo actu, concedo antecedens: Et negari debet consequentia, si intelligatur de omni actu tendente vel directè, vel indirectè ad omissionem. ¶ Ad primam eius probationem dicendum est, quòd voluntatis indifferencia ad omissionem nequit salvari sine prævio aliquo actu concurrente saltem indirectè ad illam. Et per hoc salvatur indifferencia ad tria illa exercitia, nempe ad amorem, ad expressam nolitionem illius, & ad omissionem, quæ supponit virtutalem nolitionem amoris, distinctam tamen ab expressa nolitione: nec tollit, quòd sit verum exercitium illius, ut concedunt Adversarij, dum adest talis actus, qui est occasio omissionis. Per quod patet ad secundam probationem.

52 Arguitur secundò, & à priori: Nati voluntas, prout libera libertate contradictionis, tantum petit exerceri per actum, & omissionem illius: in hoc enim sita est libertas contradictionis prout distincta à libertate contrarietatis, quòd illa explicatur per indifferenciam ad *velle & non velle*; ad *agere, & non agere*; & ista ad duo exercitia positivè contraria: ergo vel di-

dicendum est, quòd in omni libertate contradictionis imbitur libertas aliqua contrarietatis, ac proinde nequit una ab alia separari, vel asserendum est, quòd voluntas potest liberè exerceri per puram omissionem.

Et confirmatur, refellendo communem solutionem nuper insinuatam: Nam omisio, ut sit voluntaria & libera, non petit aliquem actum, qui sit de eius essentia: ergo in omissione, prout est extremum libertatis contradictionis, salvantur essentialia liberi, & voluntarij, absque eo quòd in sua essentia includat aliquem actum voluntatis: ergo absolute potest dari omisio voluntaria sine aliquo actu. Probatur hæc ultima consequentia: nam eo ipso, quòd in sua essentia sit voluntaria absque actu incluso essentialiter, potest essentialiter procedere à voluntate sine vilo actu illius. Et ita demus hypothetisim, quòd omisio coniungeretur cum voluntate sine aliquo actu illius; nihil ei deesset, ex his quæ essentialiter requiruntur, ad hoc ut sit voluntaria: ergo absolute potest dari omisio voluntaria sine aliquo actu.

53 En argumentum à priori sententiæ contrariæ, in quo nihil dissimulatum relinquatur. Ad quod responderetur, quòd licet libertas contradictionis vertetur inter *agere, & non agere*, inter actum, & eius carenciam, aliter tamen comparatur potentia ad actum, ac ad omissionem illius: Nam cum amor (v.g.) sit exercitium directum illius, potest egredi ab ea immediatè, absque alio actu præsupposito: At pro omisio contra, cum sit exercitium indirectum illius, nequit esse actualè exercitium, nisi dependenter ab aliquo actu.

Neque desinit esse exercitium contradictionis, & transit ad extremum libertatis contrarietatis: Quia actus præcedens non tollit, quòd ipsa omisio egrediatur immediatè à voluntate, quanvis dependenter ab influxu ipsius actus, qui est occasio, sicut de electione supra dictum est. Vnde verè dantur duo exercitia libera contradictionis opposita, est omisio præsupponat aliquem actum. Neque libertas contrarietatis sita est in eo, quòd versari debeat inter duos actus positivus: quia in sententia contraria, regulariter loquendo, non datur omisio libera absque omni actu; & tamen verè salvatur libertas contradictionis. Similiter, quando quis vult directè omittere, datur actus positivus amoris terminatus directè ad omissionem, & non potest negari libertas contradictionis. Libertas enim non tam debet attendi penes exercitia, quam penes obiecta: quocirca, si obiecta sunt contraria, ut bonum, & malum, datur libertas contrarietatis. Si verò sunt contradictoria, datur libertas contradictionis; quidquid sit, an contingant exercitijs positivis. Ut constat in Christo Domino, in quo non datur libertas contrarietatis circa mortem secundum se, sed tantum

libertas contradictionis, & poterat habere actum positivum de non acceptance mortis, ut si diceret, *Volo non acceptare mortem*. Similiter in Deo respectu boni honesti creati solum conceditur libertas contradictionis; & tamen hæc libertas respicit utrumque extremum medio aliquo actu positivo, cum voluntas divina non poterit manere suspensa ab omni actu. Si verò velis concedere aliquam libertatem contrarietatis semper, ac datur libertas contradictionis, non incicias ibimus; sed hæc contrarietas tantum est virtualis, & indirecta, quæ non sufficit ad excludendam libertatem directam puræ contradictionis.

54 Libertas enim contrarietatis directæ versatur inter duo obiecta contrariæ, & immediatè opposita, ut inter bonum, & malum, vel quando circa idem obiectum voluntas contrariò modo tendit, ut amor Petri, & odium Petri. Hæc autem non datur in omni libertate contradictionis, etsi utrumque extremum supponat aliquem actum: quia amor Petri respicit pro obiecto Petrum; cessatio verò, & actus ad illam requisitus non respicit Petrum immediatè, sed *non esse* amoris. Potest tamen concedi libertas contrarietatis indirectæ, quatenus volendo obiectum incompositibile cum obiecto præcepto, non vult positivè obiectum præceptum, quòd est quoddam genus contrarietatis, etsi indirectæ, & mediatæ. Idemque contingeret, si voluntas actu formali, & reflexo vellet amorem Petri; tunc volitio expressa *non amari*, quæ equivaleret nolitioni, contrariatur verè primo actu; sed hæc contrarietas est reflexa non impediens contradictionem puram directam; nec semper hic actus est necessarius, sed sufficit actus virtualiter reflexus, quæ tantum suadet contrarietatem virtutalem, non formalem. Nec contra hanc doctrinam habent aliquam vim plures replicæ, quas congerunt Ferre, & Godoy: quas omitimus brevitate gratia: & quia ex dictis possunt satis enodari.

55 Ad confirmationem respondetur, aliud esse, quòd actus non sit de essentia omissionis voluntariæ; aliud verò, quòd ipsa omisio voluntaria non requiratur persè, & essentialiter actum vagè sumptum, tanquam eius causam. Nam ad primum sufficit, quòd actus non sit prædicatum intrinsecum omissionis, nec forma vnicè, & formaliter denominans eam *voluntariam*. Ad secundum requiritur, quòd omisio nullo modo dependeat ab ipso actu. Et certè non pugnant inter se, omissionem exigere essentialiter aliquem actum ut causam; & actum non esse de essentia illius. Cognitio enim essentialiter requiritur ad actum voluntatis; & tamen non est de essentia illius. Idemque constat in intentione respectu electionis. *Maximè*: Quia ad tuendam nostram assertionem satis est, quòd actus concurrat per accidens, verò tamen, ad omis-

omissionem voluntariam: & certum est, quemlibet effectum essentialiter petere aliquam causam; & non esse idem, ac requiri per se talem causam; alias non distingueretur a causa per se illius. Hoc ergo modo dicimus, quod omisso voluntaria petit causam, vel per se, & directe tendentem ad eam, vel per accidens, seu occasionaliter; & est *ly essentialiter* appellat supra vnam, vel alteram, si absolute concedendum est, quod essentialiter requiritur aliquis actus per modum causae, non alio modo.

Doa alia argumenta

Arguitur tertio. Nam instante precepto dilectionis Dei, & advertentia illius, & suppositis auxiliis sufficientibus, potest Deus denegare omnem promotionem, tam ad actum adimpletum precepti, quam ad omnem actum incompossibilem cum adimplerione; ac in praedicta hypothese omisso dilectionis Dei esset peccaminosa, ac proinde voluntaria: ergo potest per potentiam Dei absolutam dari pura omisso voluntaria. Maior est omnino certa: nam si Deus potest denegare omnem suum concursum causa sufficienter constituta in actu primo ad aliquem effectum, & debite approximata, ut contingit igni Babilonico, cur non poterit in praedicta hypothese denegare omnem promotionem? Minor vero probatur: nam omisionem peccaminosam sufficit, quod voluntas possit, ut teneatur, & non faciat, quae omnia in praedicto casu verificantur, cum promotio non det posse.

Hoc argumentum, quod non vocat difficultate, non minus viget contra Adversarios, qui nobiscum tenent, Christum Dominum, & beatos esse ab inrredendo impeccabiles, posseque Deum imponere illis preceptum circa aliquem actum, negareque illis omnem promotionem physicam. Nam inquirimus, omisso inde orta esset voluntaria; vel non? Si asserant secundum: habemus intentum, cum stante obligatione, advertentia, & potentia proxime expedita adhuc omisso non sit voluntaria. Si asserant primum: ergo Christus, & beati defacto peccarent, cum componerent omisionem voluntariam, actus precepti cum precepto. Hoc non concedent Adversarii: ergo tenentur asserere, omisionem non esse voluntariam.

57. Unde responderetur, quod ad omisionem item voluntariam, & peccaminosam duo requiruntur ex parte actus primi, nempe potestas expedita ad actum, & obligatio ad illum; & aliud ex parte actus secundum, videlicet egressio illius ex propria determinatione voluntatis. Licet ergo in eo casu voluntas habeat potestatem abso-

lutam, & obligationem, proindeque quodlibet requiritur ex parte actus primi; omisso vero non procederet ex propria determinatione ipsius voluntatis, sed potius miraculoso modo, & omnino ab extrinseco esset voluntas suspensa a omni exercitio libero: ideoque omisioni deficeret ex parte actus secundum, quod essentialiter requiritur, ad hoc ut omisso sit imputabilis. Illud vero axioma depremontum est. *Di. Iacobus, Qui potest, tenetur, & non facit, imputatur et, intelligitur vel scilicet miraculo;* sine quo stante advertentia voluntas nequit manere suspensa ab omni actu: vel intelligitur de non facere ex propria determinatione, aut aliter.

Secundum. Sed obijcies enim Godoy: Nam carentia formae ab illo principio egreditur, a quo non egreditur forma; cum possit proxime; ac voluntas in tali hypothese potest elicere amorem, & non elicit: ergo carentia illius egreditur ab ea. *Vrgatur hoc.* Nam voluntas potest impedire carentiam amoris, quia potest amorem elicere; sed carentia, quam potest, & tenetur impedire, & non impedit, nequit non esse voluntaria: ergo, cum detur, non est voluntaria.

Objicies secundum cum Ferre. Ut omisso sit voluntaria, non requiritur, quod sit exercitium potentia viventis per eam, sed quod non vivat per actum, quo tenebatur, & poterat vivere, ut non obsecrè colligitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 7. art. 4. ad 4. ubi ait: *Similiter omisso non solum debetur pena damni, sed etiam pena sensus: hoc propter radicem, ex qua procedit, licet non habeat ex necessitate consequentiam actualem ad bonum commutabile.* ergo omisso, ut sit voluntaria, non potest egredi egressu vitali a voluntate.

59. Ad primam obiectionem, & eius vigentiam facile constat ex proxime dictis: Nam ex eis tantum sequitur, quod detur carentia formae subiective, non vero egressive: ad hoc enim non sufficit, quod detur posse ad formam, & hoc non egreditur; alias negatio formae in eo qui potest producere formam, & non producit, vere egredieretur. Nec sufficit, quod debet impedire carentiam formae: sed vix hæc requiritur, quod prædicta carentia sit determinatio in actu secundo, quod stare non potest denegata omni promotione.

Ad secundam responderetur negando: antecedens: quia revera ad omisionem voluntariam non sufficit, quod voluntas non vivat per actum, cuius est omisso; sed veterius requiritur, quod ipsa omisso sit exercitium vitale indirectum, sicut revera est exercitium voluntarium egrediens a voluntate ut ait ali. Et miramur hac obiectione uti, Magist. Ferre, qui in tract. de Peccatis num. 539. impugnat Godoy, ex eo quod ille non admittit in omisione voluntaria aliquam vitalitatem adhuc in directam, & ita concludit: *Vnde sentio cum alijs Theologis, voluntatem*

vivere indirectè, sicut libera est in ipso exercitio omisionis. *Authoritas D. Thomæ* exponitur per hoc, quod non requiritur directe, & per se actus tendens ad omisionem, quia ille non est necessarius. Ab alia solutione principalis argumenti, quam tradunt satis ingeniose NN. perdocti Salmant. super sedemus: quia illam tradunt tantum exercitii gratia, & quia longiore expostice sermonem. Pro ea, qui voluerit, consulat illos in hoc tractu, & præcipue tract. de Peccatis.

60. Arguitur ultimò: Angelus in primo instanti potuit omittere actum dilectionis Dei, ad quem tenebatur; sed omisso esset in tali casu voluntaria absque aliquo actu: ergo potest dari pura omisso voluntaria. Maior est certa: nam Angelus meruit defacto per talem actum, ut tenent communiter Theologi, quod non potest stare absque libertate saltem contradictionis. Minor vero probatur: nam ille actus dilectionis erat primus: ergo non potuit supponere alium; alias esset, & non esset primus.

Et confirmatur: Nam Christus in acceptanda morte fuit liber quoad exercitium; non ad omisionem, quæ esset privatio, alias esset peccaminosus ergo ad omisionem, quæ esset negatio; sed mera negatio non petit aliquem actum: ergo potest dari pura omisso voluntaria.

61. Ad argumentum respondet Magist. a Sancto Thoma tract. de Angelis disp. 23. num. 33. quod Angelus in primo instanti potuit facere, & non facere, velle, & omittere; prout sunt extrema contradictionis, non prout sunt extrema contrarietatis, & quatenus omisso est voluntaria simul, & culpabilis, quæ exigit actum concomitantem, vel antecedentem; quod in primo instanti stare non potest: nam ille actus nequit esse antecedens, ne sit primus; nec concomitans, alias non esset pura omisso, sed etiam commissio.

Hæc solutio videtur incidere in sententiam Adversariorum, quam ipse impugnat, cum admittat in hoc casu esse possibilem liberam omisionem absque omni actu. Verum est, quod admittit libertatem contradictionis ad diversos actus eiusdem speciei, quatenus ita elicit amorem A, quod loco eius potest ponere in eodem instanti amorem B, qui infert carentiam amoris A. Sed hic modus dicendi manet satis impugnat in nostro tract. de Angelis disp. 3. num. 58.

62. Unde, hac solutione cum venia tanti Doctoris relicta: Responderetur concedendo maiorem, in sensu infra explicando pro solutione confirmationis, & negationis. Nam Angelus in primo instanti ita potuit omittere actum preceptum secundum se, non vero ut præceptum, ut etiam esset incompossibilis aliquis actus, qui directe, vel occasionaliter tenderet ad omitendum. Ad cuius probationem dicendum est, verum esse, quod amor, quem defacto elicit, Paul. Theol. Salm. Tom. II.

fuit actus primus omnium; sed fuit primus ex suppositione, & in determinata serie actuum, quod non tollit aliam seriem actuum, in qua daretur alius actus primus valde diversus; & per hunc, ut potest in compossibilem cum illo, voluntas potuit tendere, vel directe, vel indirectè ad eum s omisionem.

63. Ad confirmationem responderetur quod mera negatio, si est voluntaria in se, vel obiectum voluntarium, petit aliquem actum. Et ita non repugnabat, quod Christus eliceret hunc actum, *Volo non mori*, qui actus terminaretur ad omisionem, non ut compossibilem cum precepto, sed secundum se. Prædicta autem omisso, cum prout est terminus volitionis illius, præcedebat a debito actu oppositi, iuxta nostram sententiam proxime roborandam, non poterat esse in se, & intrinsece voluntaria, sed tantum obiective. Nec hoc tollitur, libertas contradictionis: quia hæc, ut supra diximus, non tam attenditur penes exercitia, quam penes obiecta. Quæ doctrina omnino applicanda est tunc Angelo in primo instanti, quam beatis supposito aliquo precepto possibili, nisi omisso supponat actum existentem, cuius est omisso, quia tunc in se esset etiam voluntaria, iuxta proxime dicenda.

DUBIUM V.

Utrum omisso, ut sit voluntaria, requiratur debitum non omitrendum.

Hoc dubium movetur propter quædam verba D. Thomæ communiter relata ex hac 6. quæst. 6. art. 3. ubi ait: *Sciendum, quod non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur, sicut in causam, in agens, ex eo quod non agit: sed solum tunc, cum potest, & debet agere. Si enim gubernator non possit navem dirigere, vel non esset ei commissio gubernatio navis, non imputaretur ei navis submersio, que per absentiam gubernatoris contingeret. Quia igitur voluntas volendo, & agendo potest impedire hoc, quod est non velle, & non agere, & aliquando debet, hoc, quod est, non velle, & non agere, imputatur ei, quasi ab ea existens.* Ex quibus tria possunt inquiri. Primum, an ve effectus ad omisionem sequutus, sit voluntarius, requiratur, quod omitens, ad non omitrendum teneatur? Secundum, utrum omisso possit esse voluntaria, quin præcedat aliquod debitum? Tertium, quale debeat esse debitum ad rationem voluntarij. Ex quibus secundum eligimus disputandum, quia alia duo ve quasi certa habentur apud Auctores: quamvis nonnulli dicemus via suppositionis, sicut & alia, quæ ad explicandum præcipuum difficultatis pondus conducunt.

§. I.

Nonnulla suppositiones.

64 **S**upponendum est *primò*, effectum sequutum ad aliquam omissionem, five voluntariam, five non voluntariam, non esse voluntarium, nisi adit debitum non omittendi. In hoc conveniunt communiter Theologi, etiam illi, qui aliter sentiunt de omissione: Et est expressa mens D. Thomæ in verbis proxime relatis. Et probatur breviter de effectu sequuto ad omissionem voluntariam, quia de effectu sequuto ad omissionem non voluntariam omni vacat difficultate: Nam si non adit debitum ad non omittendum effectum, effectus non redigitur in voluntatem, tanquam in causam: ergo non est voluntarius. Antecedens probatur: nam tunc voluntas nullum influxum realem positivum præstat, qualis requiritur ad hoc, ut reducat in eam tanquam in causam physicam: ergo non redigitur in voluntatem, tanquam in causam. Antecedens probatur: Tum, quia, non stante debito, reputatur tanquam res ad se non pertinens, ideoque solum negativè, seu permissivè se habet voluntas ad eum: ergo nullum influxum præstat. Tum etiam: nam peccatum sequitur infallibiliter ex negatione auxilij divini; & tamen Deus nullum influxum præstare dicitur in peccatum; ea præcisè ratione, quia non tenetur conferre tale auxilium: ergo. Tum denique alijs sexcentis exemplis, seu effectibus, qui voluntarij non sunt, neque imputantur ex defectu debiti; & revera imputantur, si voluntas præstaret verum influxum positivum.

Pro cuius maiori luce: Adverte, effectus sequutos ad omissionem voluntariam esse in duplici differentia: nam quidam sequuntur persè; & hi nequeunt esse positivi, sed negativi, aut privati, eo quod nullus effectus positivus potest causari persè ab omissione. Alij sequuntur per accidens, tanquam ad removens prohibens, ut contingit in eo, qui non tenetur gubernare navem, & non gubernat, etiam si sit peritus in gubernatione, & prospiciat sequuturam submersionem, hæc sequitur ad omissionem tanquam ad removens prohibens. Et de huiusmodi effectibus procedebat suppositio; nam certum est alios priores esse voluntarios, si omisio est voluntaria. Diximus supra, quod de effectu sequuto ad omissionem non voluntariam omni vacat difficultate. Quocirca hæc suppositio magis rotabitur ex dicendis pro conclusione statuenti da.

65 **S**upponendum est *secundò*, omissionem actus, qui formaliter præcedit, & interrumpitur per eam, esse voluntariam, est debitum ad non omittendum non adit. In hac etiam suppositione conspirant communiter Theologi:

Ratio huius est: quia qui expellit aliquam formam ab aliquo subiecto, eo ipso causat non esse illius, etiam si nullum adit debitum v. g. qui expellit ab aliquo subiecto nigredinem per introductionem albedinis, verè causat carentiam nigredinis: quid enim est causare non esse formam, nisi positivè expellere formam oppositam, aut introducere formam impossibilem eanti ea? Ergo est debitum non existeri, si defectò præcedit actus, cuius est omisio, omisio ipsa verè procedit à voluntate, estque formaliter voluntaria. Ex quo deducitur, quòd negatio auxilij, quod Deus antea tribuebat, est verè effectus illius; ad eum modum quo privatione possunt esse effectus; similiter omisio dirigendi navem, in eo qui eius directioni operam dabit absque omni debito, eo ipso est illi formaliter voluntaria. De ipsa submersione ex ea sequuta iam supra dictum est, quòd non est voluntaria.

66 **S**ed inquires, quandiu censeatur talia omisio voluntaria? Huius responsio pendet ex doctrina communiter tradita à Philosophis circa inceptionem; & distinctionem retum. Pro qua possunt videri N. Complut. abrev. in lib. Physic. disp. 24. statuentes omissionem formam habere modum inceptionis similem modo destinationis ipsius formæ. Quocirca tandiu durat omisio ut voluntaria formaliter, quandiu durat defectio actus; nec ultra progreditur omisio ut voluntaria, quia nec ultra voluntas inluit in eam; sicut causans carentiam nigredinis non ultra causat illam, nisi quandiu durat productio albedinis, & destructio nigredinis. Ex quibus constat, pondus presentis difficultatis reduci ad omissionem actus, qui non precedebat: Et inquiritur, an possit esse voluntaria formaliter, et si non sit vllum debitum ad non omittendum?

67 **P**ro quo nota, duplex posse excogitari debitum: nam aliud est omittendi actum, & huiusmodi est debitum non furandi. Aliud est debitum faciendi actum omisum, ut dum adest præceptum audiendi sacrum. Et hoc adhuc potest esse in triplici differentia: nam aliud obligat ad culpam, ut debitum ortum ex præcepto audiendi sacrum: aliud est præ penale, quia præcisè obligat ad penam; & hoc modo sunt communiter constitutiones nostræ sacre Religionis: aliud denique dicitur solius decentie, quod non obligat ad culpam, aut penam, ut debitum urbanitatis, gratitudinis, amicitie &c. quod si non oriatur ex debito alicuius verè virtutis, reducitur proprie ad consilium; & hæc ratione non erit proprie debitum. Quibus scitis.

Supponendum est *quartò*, debitum (v. g.) non furandi non reddere omissionem voluntariam. Probatur efficaciter: nam debitum reddens omissionem voluntariam debet esse oppo-

§. II.

Nostra sententia ex mente Divi Thomæ deducta.

69 **D**icendum est, omissionem non posse esse voluntariam sine debito non omittendi. Hæc assertio est iuxta mentem Divi Thomæ in testimonio in limine dubij relato; vbi hæc habet verba: *Quia voluntas volendo, & agendo potest impedire hoc, quod est non velle, & non agere, & aliquando debet, hoc, quod est non velle, & non agere, imputatur ei.* Vbi expresse postulat debitum ad hoc, ut omisio sit voluntaria, sicut in precedentibus verbis postulat illud ad effectum subsequutum ad illam.

Nec refert, si dicas *primò* cum aliquibus, D. Thomam intelligendum esse de omissione moraliter sumpta, secus verò de ea physice accepta. Non (inquam) refert: Tum, quia D. Thomas in tota hac questione disputat non de voluntario morali, sed de voluntario physico, seu secundum se. Tum etiam: nam D. Thom. ex eo quòd voluntas potest velle, & agere, & debet, infert non velle, & non agere imputari ei tanquam ab ea existentibus, hoc est, tanquam ab ea procedens; sed hæc verba potius significant voluntarium physicum, quam morale; ergo.

70 **N**ec refert si dicas *secundò* cum Salas; & Godoy loco supra relato num. 72. quòd D. Thomas meditato apposuit particulam illam, *Competat ei aliquando ratione debiti*, quod nullus negat, non semper. Non (inquam) refert: Tum quia sensus planus illius est, quòd aliquando tenetur, & tunc omisio est voluntaria, non verò quando non tenetur, ut ex verbis sequentibus potest deduci. Tum etiam: quia omisio, vel nunquam est voluntaria physice ratione debiti, vel semper: nam si potest esse voluntaria independentè à debito, hoc, vt potest quid extrinsecum, est quid accidentaliter adveniens ei ut voluntaria; hoc est expresse contra D. Thomam: ergo intelligendum est iuxta sensum proxime explicatum.

71 **D**einde probatur ratione: Nam ut omisio sit voluntaria, necesse est, quòd procedat à voluntate, eo modo quo carentiæ solent à suis causis procedere; sed omisio nequit à voluntate procedere, nisi vel procedat actus oppositus; aut debitum non omittendi: ergo necessarium omnino est debitum ad hoc, ut omisio sit voluntaria, non procedente actu eius opposito. Maior ex dictis dubio præcedenti conitar. Et minor probatur: nam ut omisio à voluntate procedat, debet fieri actu sibi opposito; sed non procedente actu omissionis opposito, & non existente debito ad illum, nullum est oppositum, ex

stium omissioni, & per eam violari debet; sed debitum non furandi non est oppositum omissioni, nec per eam violatur, ut ex se liquet: ergo non reddit omissionem voluntariam. Maior, de qua tantum poterat esse dubium, evidenter constat ex infra dicendis pro nostra asser-tione.

68 **S**upponendum est *quintò*, quòdlibet ex duobus prioribus debitis sufficere ad omissionem voluntariam. Ratio est: quia omnis pena supponit causam voluntariam; sed pena statuta à Religione propter aliquas omissiones est vera, & iusta: ergo debet supponere omissionem voluntariam. Unde omisio non solum est voluntaria, dum supponit debitum ad culpam, ut omnes supponunt, sed etiam dum supponit debitum præcisè ad penam. Non ita exploratum est, an prædicta omisio sit simul peccaminosa ex alio capite? Sed ut certum habendum est, quòd, nisi adit motivam alicuius virtutis superioris ad omittendum, est simul peccaminosa, et quòd in nostra sententia, sicut nequit dari, persè, loquendo, actus indifferens in individuo, ita ne omisio: & si non ordinatur ad finem honestum, eo ipso redditur peccaminosa. His omnibus prænotatis, & suppositis: Restat difficultas; nullo precedente debito, possibilis sit omisio voluntaria formaliter? Et procedit de ea supponente alicquem actum, qui sit causa illius, five tendat directè ad eam, five indirectè.

Prima sententia tenet, omissionem esse voluntariam, etiam si nullum præcedat debitum, si ve quis tendat directè ad eam, five indirectè, ut si sciens aggrediar negotium impossibile cum auditione Sacri. Sic ex Thomistis Montefinos, Alvarez, Ioannes à Sancto Thoma, Illustr. Godoy 1. 2. disp. 21. §. 8. & alij. Ex extraneis Almain. Suarez, Vazquez, Salas, Granados, & alij. ¶ Secunda ex diametro opposita defendit, debitum esse necessarium, ut omisio sit voluntaria, quicunque actus procedat. Ita ex Nostris Caiet. Conrad. Medina, Carriel, N. Cornejo, N. Salmant. in præf. disp. 4. dub. 2. & ex alijs Lorea, Putean. Azor, & plures alij. ¶ Tertia media defendit, esse necessarium prædictam conditionem, quando actus non tendit directè ad eam, secus verò quando tendit directè, ut si habeat quis hunc actum formaliter, *Volo non audire sacrum.*

Ita Ioannes Ild. ph. Baptista disp.

79. numer. 27.



quo omisio fiat: ergo omisio nequit procedere à voluntate, nisi præcedat actus ei oppositus, aut debitum non omitendi. Maior, in qua tantum potest esse difficultas, suadetur: nam omnis productio debet versari inter duos terminos à quo, & ad quem, itaut sint inter se oppositi: & ita actus fit ex negatione sui, & carentia formæ ex ipsa forma tanquam à termino à quo: ergo ut omisio à voluntate procedat, debet fieri ex aliquo sibi opposito.

Et confirmatur: Nam quando voluntas omittit per veram influentiam, aliqua ratione mutatur; sed omnis mutatio petit versari inter duos terminos à quo, & ad quem; itaut terminus ad quem petat fieri ex termino à quo: ergo omisio voluntaria petit oriri à termino à quo; sed non est alius, nisi vel actus oppositus in se, vel residens in eius debito: ergo nequit egredi à voluntate, si non præcedit actus oppositus, vel in se, vel in aliquo debito.

72. Rationi respondet Godoy numer. 73. concessa maiori, negando minorem. Et ad illius probationem negat maiore: quia omisio actus non petit semper fieri ex opposito actu, sicut nec actus petit produci semper ex carentia sui, ut liquet in actu elicto ab Angelo in primo instanti suæ creationis; & apertius constaret in eo, si crearetur ab æterno, & in primo instanti (ut sic dicamus) sui esse eliceret actum. Adde quod, si omisio peteret semper fieri ex actu sibi opposito, peteret fieri ex actu in se ipso formaliter, & non ut in debito: quia actus, prout in debito, nec vere existit physicè, nec est omisio oppositus, cum debitum sit cum omisio- ne compossibile, ob quam rationem per docti N. Salmaut, in præf. num. 46. docent, terminum à quo omisionis voluntariæ non esse potentiam in actu primo, ex quo fiat omisio in actu secundo.

Confirmationi respondet numer. 76. concessio primo syllogismo, negando minorem subsumptam: quia omisio non petit fieri, nisi ex negatione sui, tanquam ex termino à quo. Nec ex hoc sequitur fieri ex ipso actu: nam licet negatio negationis absolute sumpta sit affirmatio entitatis positivæ, seu ipse actus, negatio verò negationis non absolute sumpta, sed ut voluntariæ non est affirmatio actus: quia inter actum, & omisionem, ut voluntariam mediat omisio, ut non voluntaria.

73. Sed hæc evasio quoad omnes suas partes refellitur. Et primo quoad ea, quæ in evasione rationis continentur: Nam licet actus non petat semper fieri ex carentia sui, semper tamen petit fieri ex carentia sui, dum eius productio est vera mutatio. Vel aliter: licet actus incipiens cum esse subiecti non petit fieri ex non esse sui, semper tamen petit fieri ex non esse sui, dum non incipit cum esse subiecti: ergo licet omisio non peteret fieri ex opposito actu, dum incipit

fieri cum non esse subiecti, semper tamen petit fieri ex actu sibi opposito, dum prædicta omisio non incipit cum esse subiecti. Consequentia probatur: Ideo antecedens est verum, quia actus omnis non incipiens cum esse subiecti est vera mutatio; sed etiam omisio procedens à voluntate, & non incipiens cum esse subiecti est vera mutatio, ut concedit Godoy: ergo etiam petit fieri ex actu sibi opposito, dum non incipit fieri cum esse subiecti.

Vergetur hoc; & simul refellitur additamentum: Nam carentia, quæ non est privatio, sed negatio pura non dicitur fieri, nisi præcedat forma, cuius est carentia; e contra verò carentia, quæ est privatio, verè dicitur fieri in subiecto, est non præcedat in se forma, cuius est carentia; sed discrimen hoc nequit stare, nisi in eo quod negatio non supponit debitum in subiecto, & privatio illud supponit: ergo cum omisio, non existente debito, non fit privatio, nequit fieri à voluntate, nisi præcedat actus. Minor cum consequentia constat. Et maior solam eget explicatione: Nam negatio pura, quæ ad lineam privationis non pertingit, non petit aliquam veram causam, per quam ponatur in rerum natura, nisi forma, cuius est negatio, antea extiterit; sed sufficit non adesse formas; quarum sunt negationes, ut has tanquam existentes concipiamus. Quis unquam dixit, negationes has, *Hominem non esse Angelum; Angelum non esse Deum; Hominem in pura natura non habere gratiam*, esse verè productas? Neque in hoc immoramur: quia ipse Godoy concedit carentiam amoris in dormiente non habere causam efficientem.

74. Secundò refellitur quoad ea, quæ ad evadendam confirmationem adducuntur: Nam idem est reverà formam aliquam produci in aliquo subiecto, quod antea est factum, ex non esse sui, ut factæ, ac ex non esse sui absolute: ergo pariter idem est post subiectum productum, omisionem produci in eo ex non esse sui, ut factæ voluntariæ, ac non produci ex non esse sui absolute; sed iuxta concessa à Godoy, & iuxta veritatem, idem est omisionem fieri à voluntate ex non esse sui, ac fieri ex actu positivo sibi opposito: ergo omisio, ut fiat à voluntate, petit fieri ex actu positivo opposito, vel existente formaliter in se, vel virtualiter in suo debito. Antecedens; in quo tantum potest esse difficultas, suadetur: Nam in Angelo (v.g.) vel in albedine nequit dari transitus ab esse Angeli, seu albedinis ad esse illius, ut factæ: quia semel quod existat, quamvis per impossibile non fuisset factus, non posset de novo fieri: proinde que non daretur medium inter non esse Angeli absolute sumptam, & inter ipsum ut factum: ergo idem est formam aliquam, post subiectum productum produci in eo ex non esse sui, ut factæ, ac ex non esse sui absolute. Vergetur hoc: Et suppo-

na-

namus, iuxta sententiam probabilem Scoti, amorem posse in voluntate existere, quin procedat à voluntate: in hac hypothesi idem esset fieri ex negatione sui, ut voluntarij, ac ex negatione sui absolute: quia actus iam existens nequit esse terminus à quo, cum absolute sit compossibilis; maxime in nostra sententia, asserente eundem actum posse transire de actu necessario in liberum, ergo idem erit fieri omisionem voluntariam ex non esse sui, ut voluntariæ, ac ex non esse sui absolute. Patet consequentia: quia carentia actus absolute est compossibilis cum carentia actus, ut voluntariæ. Iam si sed non esse carentiæ absolute sumptæ coincidit cum actu: ergo omisio voluntaria petit fieri ex actu sibi opposito.

75. Roborantur hæc omnia: Nam effectus subsequatus ad omisionem, iuxta concessa ab Adversarijs, non est voluntarius, nisi adit debitum: ergo nec omisio. Probatur consequentia: Ideo antecedens est verum, quia effectus non est voluntarius, nisi ratione omisionis voluntariæ: ergo vel posita omisione voluntaria ponitur etiam effectus voluntarius, etiam si non adit debitum; vel ipsa omisio, non existente debito, non est voluntaria. Nec valet recursus ad instantiam indirectam omisionis in effectum ex ea sequutum: Nam etiam omisio non potest fieri, nisi per influxum indirectum. Vnde, non existente debito, solam erit voluntaria obiectivè, non verò formaliter. Sed hæc ex solutione argumentorum amplius constabunt.

§. III.

Argumenta sententiæ opposita.

76. Argumentis, quæ in aliquibus exemplis consistunt, superse- demus: quia nullam difficultatem habent; si dicatur, quod omisio non existente debito, aut non præcedente actu sibi opposito potius habet rationem obiecti voliti, quam rationem exercitij voluntarij.

Arguatur ergo primò cum Godoy, præcipue contra nostram rationem: Ideo omisio non esset voluntaria sine debito, aut actu sibi opposito præcedente, quia semper petit fieri ex suo opposito tanquam ex termino à quo; sed hoc est falsum: ergo omisio potest esse voluntaria sine actu præcedente, & sine debito. Minor probatur: Tum, quia actus non petit fieri ex carentia sui, ut liquet in amore Angeli elicto in primo instanti, & in amore, quem eliceret in nunc æternitatis, si ab æterno crearetur; alias in eodem instanti existeret amor, & eius carentia. Tum etiam: nam si Deus hominem dormientem creasset, carentia amoris produceretur à Deo; & tamen non fieret ex amore, aut debito: ergo.

Et confirmatur: Nam omisio nequit fieri ex debito: ergo non requiritur debitum ad omisionem voluntariam. Antecedens probatur primò: nam de ratione voluntarij tantum est, quod procedat à principio intrinseco cum cognitione: ergo quod imperitineret se habet ad hoc, etiam imperitineret se habet ad rationem voluntarij; sed præceptum imperitineret se habet ad rationem principij intrinseci: ergo non fit ex debito. Secundò: Nam debitum solum destruitur moraliter, quando adest, per omisionem; sed voluntarium præcedit omnem moralitatem: ergo omisio ut voluntaria non fit ex debito.

Explicatur hoc: Debitum est compatibile cum omisione, cum illius existentiam requiratur: ergo non fit ex debito. Probatur consequentia: Ideo per nos terminus à quo non est potentia amandi, quia non excluditur per omisionem; sed nec debitum excluditur saltem physicè per omisionem, licet quoddammodo excludatur moraliter: ergo non fit ex debito.

77. Roboratur hoc: Nam non minus impeditur potentia ad amorem per omisionem in sensu composito, quam debitum ab actus impletione: quia sicut debitus actus destruitur per omisionem, ita potentia ad actum in sensu composito destruitur per omisionem: & sicut potentia ad actum manet explebilis in sensu diviso, inexplebilis tamen in sensu composito; ita debitum manet explebile in sensu diviso, inexplebile tamen in sensu composito; & nihilo minus apud nos omisio actus nequit fieri ex amore, ut est in potentia proxima, tanquam ex aliquo sibi opposito: ergo nec ex debito.

Roboratur amplius: Nam ideo per omisionem destruitur debitum actus, quia per illam violatur, non quia per illam destinatur esse: ergo non habet oppositionem cum entitate debiti, sed cum illo, ut non violato; sed per nos fit ex illo, eomodo quo opponitur: ergo fit ex illo præcisè, ut non violato; sed negatio violationis est negatio omisionis formaliter ut voluntariæ: ergo fit ex negatione sui; quod nos impugnamus.

78. Ad hoc argumentum respondetur concessa maiori, negando minorem. Et ad eius primam probationem dicendum est, quod licet actus, cum produciatur cum esse subiecti, seu cum non est mutatio, non petat produci ex suo carentia; petit tamen produci ex carentia sui, dum est mutatio; aut dum produciatur post subiectum productum. Vnde saltem similis omisio petit produci ex actu sibi opposito; quod negant Adversarij. Dices: Ergo potest omisio egredi à voluntate, dum ponetur cum esse subiecti (ut si Angelus omittit amorem in primo instanti) est non fiat ex actu sibi opposito. Negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia actus semper petit causalitatem: omisio

non

non semper petit causalitatem, vt concedunt Adversarij, & tunc accidit, dum est pura negatio: & cum ex defectu debiti omisio sit pura negatio, inde est, quod vel non potest egredi à voluntate; vel debet fieri ex actu sibi opposito, vel in se, vel in suo debito. Per quod constant ad secundam probationem: nam carentia amoris in homine producit vt dormiente, cum sit mera negatio, non petit ab aliquo causari.

79 Ad confirmationem respondetur negando antecedens. Ad eius primam probationem dicendum est, quod est præceptum sit quid extrinsecum principio voluntario, & actui; est tamen conditio sine qua non ad hoc, vt omisio actus sit privatio adhuc in esse physico; & cum negatio pura nullam causam petat, à qua egrediatur, inde est, quod vel non egreditur à voluntate, vel necessitudo debet præsupponere debitum. Ad secundam dicitur: fatendo, quod debitum solum destruit moraliter per omisionem actus debiti; est tamen omnino requisitum, vt sit privatio in esse physico, ac proinde vt sit voluntaria: & ita privatio prout voluntaria non præcedit seipsam, prout est destructio debiti: In cuius signum videmus, quod privatio persè primò est carentia actus debiti, & quod persè primò debetur, est entitas physica actus. Quæ ratio docent N. Salm. tr. de Peccatis disp. 6. n. 24. malitiam privativam reparam in peccato commissionis esse carentiam bonitatis fundamentalis, non moralis formalis; quod potius vrget in peccato omisionis.

80 Ad illius explanationem respondetur distinguendo antecedens: Est compatibile cum omisione, vt consideratum in actu primo, concedo antecedens; vt consideratum in actu secundo, nego antecedens: Et consequentiam. Ad eius probationem dicendum est, esse notam disparitatem inter potentiam amandi, & debitum: potentia enim amandi adæquate se tenet ex parte actus primi; debitum verò & potest considerari in actu primo, prout potest expleri, vel non expleri; & potest considerari in actu secundo, prout virtualiter continet actum, seu prout actu non expletur per actum debitum. Et ratione huius discriminis omisio amoris nequit fieri ex amore, prout in potentia, bene verò ex debito, non considerato in situ descripto potentialitatis, sed prout virtualiter est ipse actus debitus. Per quod constat ad illa duo, quibus tam ratio, quam confirmatio roborantur: nam idem est debitum destrui in actu secundo, ac absolute destrui tam ipsam, quam actum contentum virtualiter in eo; ideoque idem est fieri omisionem ex debito non violato, ac ex actu debito, vt sibi opposito.

81 Arguitur secundò: Nam stat optimè, quod quis habeat omisionem purè negativam alicuius actus, & postea ponat impedimentum positivum ad illam; sed tunc omisio esset vo-

luntaria; ergo non requiritur ad omisionem aliquod debitum, aut quod præcedat actus sibi oppositum. Minor probatur: nam omisio transiens à purè negativa ad repugnantem petit aliquem influxum: ergo influxum voluntatis; sed omisio procedens à voluntate est voluntaria: ergo tunc casus omisio esset voluntaria.

Ad hoc argumentum respondetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, ex ea tantum deduci, quod detur aliquis influxus positivus ad actum, qui est impedimentum ad actum contrarium; secus verò ad ipsam omisionem. Et reverà, si hoc argumentum aliquid suaderet, sequeretur ex eo, quod esset voluntaria omisionem omnium illorum actuum possibilium, quorum prædictus actus esset impedimentum; & sunt infiniti, ac proinde ibi adesset infinitæ omisiones voluntariæ; quod videtur ridiculum.

Arguitur tertio, & ultimo: Nam omisio, non existente debito, potest assumi vt medium ad aliquem finem, v.g. omisio audiendi sacrum in die feriali potest assumi vt medium ad vacandum studio; sed tunc omisio esset voluntaria formaliter in se: ergo potest dari omisio voluntaria sine debito actus oppositi. Minor probatur: nam de ratione medij est, quod eligatur à voluntate, & quod ponatur à voluntate, quod est idem, ac esse effectum illius: ergo esset voluntaria.

Hoc argumentum imprimis infatur in sententia contraria: Nam effectus subsequens ad omisionem, vbi nullum est debitum ad illum, potest assumi vt medium ad alium ulteriorem finem (quis hoc negat?) & tamen non est formaliter voluntarius, nec effectus positivus voluntatis, sed est obiectum extrinsecum illius. Cur ergo non potest idem dici de omisione, vbi non ad est debitum ad actum oppositum, & assumitur vt medium ad aliquem finem? Vnde respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quod plura eliguntur vt media, quæ non sunt effectus voluntatis, vt constat in his, quæ postquam sunt producta, eliguntur vt media, & vitia ad aliquem finem. Hoc potiori titulo vrget in omisione, quæ, vt potè pura carentia, nequit proprie esse medium, nec proprie eligitur, sed improprie, quatenus non eligitur oppositus actus.



Scripturas sanctas esse in homine liberum arbitrium; & quisquis negaverit, Catholicus non est. Igitur hoc dubium deservit ad absolvendos errores, qui per omnia secula ab hæreticis extorti sunt.

DISPUTATIO II.

De Voluntario Libero.

§. I.

Veritas catholica defensatur.



Voluntario Libero speciale dicamus disputationem ob plurimas, & gravissimas difficultates, quæ erga illud versantur; & concernunt plures tractatus theologicos. Sed quia libertas plures gradus habet, de ea erit sermo, secundum quod importat indifferentiam ad utrumlibet. Et definitur sic: Libertum arbitrium, est facultas voluntatis, & rationis habens se ad utrumlibet. Quam definitionem tradidit Magister Sent. in 2. dist. 24. cap. 5. eamque illustravit D. Thomas pluribus in locis, præsertim quest. 24. de Verit. art. 1. & 6. in corpore. Alia definitio liberi arbitrij est: Quod, postis omnibus requisitis, ad agendum, potest agere, & non agere. Quam definitionem ita extollunt Recentiores Societatis, vt de alia non curent; quinimo increpant Thomistas, quod definitionem adeò communem non admittant, vt decreta prædistinguant, & gratiam ex se efficacem libertate conciliant. Sed in hac re aperte falluntur: quia nullus est Thomista, qui eam rejiciat; sed, vt notat Ioannes à Sancto Thoma quest. 12. de Anima art. 3. est apud omnes communiter recepta: Et rectè exposita coincidit cum definitione prima: nam per vna, & aliam nihil aliud innuitur, nisi quod liberum arbitrium simul habeat potentiam agendi; & potentiam non agendi; & quod componat potentiam non agendi, cum potestate, & præteritatem non agendi. Diffinitionem hanc hoc modo expositam omnes Thomistæ vt certam supponunt, & admittunt; & solum resistent expositionem Recentiorum Societatis, aientium, esse de conceptu liberi arbitrij, posse componere, non esse actionis, cum omnibus requisitis ad agendum; & hoc nec est de essentia libertatis, nec quid exactum ab illa. Hinc gradum facimus ad aliqua communia dubia huius disputationis.

DUBIUM I.

Utrum Arbitrium hominis lapsi sit liberum libertate indifferentiæ?

Materia huius dubij est adeo certa, vt eius veritas firmata sit ab univèrsali Ecclesia per Concilia, tum particularia, tum generalia per Summorum Pontificum decreta, omnium Sanctorum Patrum conspirante cetera; vt merito dixerit D. Augustinus lib. de Gratia, & Libero arbitrio cap. 1. Revelavit nobis Deus per

Dicendum est, in homine lapsio existere liberum arbitrium libertate indifferentiæ. Ita D. Thomas quest. 24. de Verit. art. 1. vbi ait: Dicendum, quod absque omni dubitatione hominem arbitrio liberum ponere oportet. Ad hoc enim fides asstringit, cum sine libero arbitrio non possit esse meritum, vel demeritum; iusta pœna, vel premium. Ad hoc manifesta indicia inveniunt, quibus apparet hominem liberè vnum eligere, & aliud resutare. Ad hoc etiam evidens ratio cogit & c. Unde ex triplici capite hæc veritas catholica, iuxta Div. Thomam, suadetur, nempe ex fide, hoc est, ex scriptura, ab experientia, & à ratione.

Et primò probatur ex Scriptura: Nam Genes. 4. dicitur: Sub te erit appetitus tuus, & tu denominaberis illius. Quibus verbis denotatur, esse in hominis potestate, & domino peccare & non peccare; resistere, & non resistere appetitui. Idem colligitur ex illo Ecclesiast. 15. Reliquit illum in manu consilij sui. Et ex illo 1. ad Corinth. 7. Potestatem habens sue voluntatis. Accedit ad hæc Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. & canon. 5. vbi ait: Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit: anathema sit. Id ipsum docent Sancti Patres, quod super vacaneum est recensere.

3 Secundò probatur ab evidenti experientia: Quia quilibet experitur, se facere liberè, & contingenter actus liberi arbitrij, vnum eligendo, & aliud respuendo; ideoque Conc. Sènon. in decret. 15. de Libero arbitrio sic ait: Proderit hic error primam apud Gentiles: sed summo omnium consensu mox expulso est. Adeo liberè arbitrium esse, vel vt evidenti quodam experimento cognitum, omnium mentibus sese inculcat; & propterea Scotus in 1. dist. 39. Vega lib. 2. in cap. 1. Trident. cap. 15. & alij docent ex Arist. negantes liberum arbitrium non rationibus, sed verberibus convincendos esse; quousque concedant possibile esse eos non torqueri.

Tertiò probatur à ratione: Quia si voluntas ex necessitate veller, quidquid vult, non opus esset legibus, præceptis, consilijs, præmissis, atque supplicijs, & non esset capax meriti, aut demeriti; sed hoc non est admittendum: ergo voluntas nostra est libera, non solum à coactione, sed etiam libertate indifferentiæ. Sequitur.